



re pecuniam is, qui possit fideicommissum, ut hereditatem impleta condicione possit adire, et restituere. §. 9. Quod si condicio adscripta est, et ea est, quam Praetor remittit: sufficere Edictum, ut Iulianus ait: haecenus iubendus est, ut constituat Praetoriis actionibus uti, aut petat bonorum possessiones secundum tabulas, ut ita nactus actiones, tunc restituta hereditate transferat eas ex Senatusconsulto. §. 10. Si vero nominis ferendi condicio est, quam Praetor exigit: recte quidem facturus videtur, si eam expleverit: nihil enim male est, honesti hominis nomen adsumere, nec enim in famosis et turpibus nominibus hanc condicionem exigit Praetor: sed tamen si recuset nomen ferre, remittenda est ei condicio, ut Iulianus ait, et permittendae utiles actiones: aut bonorum possessio secundum tabulas danda est, uti nactus actiones, transferat eas ex Senatusconsulto.

§. III.

*Explicatio §. 7. 8. et 9. Scriptura Florentina, reprobatis variis variorum emendationibus, defenditur.*

Iure fideicommissorum, quod ab Augusti temporibus inualuerat, binis illis senatus consultis, Trebelliano et Pegasiano, satis munito atque corroborato, neque solum incommotis, quibus heres scriptus praestandis fideicommissis premebatur, sublatis, sed etiam certa spe lucri, ad eunda et ex fideicommissis restituenda hereditate, capiendi proposita,